



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Instrvctio R.P. Ignatii Balsamonis Societatis Iesu,
Theologi. De Perfectione Religiosa, Et De Vera Recte
Orandi & meditandi methodo**

Balsamo, Ignazio

Coloniæ Agrippinæ, 1612

Recollectio suiipsius.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48888](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48888)

siderando quomodo obligationi suę
 in diuino seruitio satisfecerit, qui-
 bus in rebus singulas diei horas con-
 sumperit, & si quid minus rectè, aut
 etiam perperam factū repererit, il-
 lius veniam à Deo flagitabit, cum
 vero & ardenti desiderio eadē quo-
 tidie diuina gratia opitulante perfe-
 ctius exequēdi, atq; idcirco singulis
 diebus postquam expergefactus fue-
 rit, proponet in corde suo cuncta
 quę status obligatio à se requirit,
 multo accuratius quàm vnquā antea
 perficere. Etenim experiētia nos edo-
 cet, duo hæc vnicuiq; vtilissima esse;
 summo mane proponere, & sub ves-
 perā totius diei à se rationē poscere.

Recollectio sui ipsius.

Alterum quod breui compendio
 hominem ad perfectionis cul-
 men ducit, est: sæpenumero seipsum
 recolligere, receptui canere, & ani-
 mæ thalamū post singulas horas aut
 certè post binas, pro vt negotia per-
 milerint ingredi, ibiq; coram diui-
 na præsentia imaginationis benefi-
 cio se constituere, & vnum animæ o-
 culum

culum ad horam præteritam, alterū verò ad proximè sequentem conu-tere, & tria hæc breuiter facere.

1. Gratias agere Deo qui tibi vitam donauit.

2. Veniam ab illo postulare pro defectibus eadem hora admissis, eaque non satis vtiliter expensa.

3. Proponere & gratiam petere pro hora proximè sequenti accuratius & fructuosius expendenda. O beatum illum & ter quaterq; beatum qui animum ad sanctum hoc exercitium applicauerit: per illud enim in continua quadam deuotione conseruabitur, atque ad magnā cū Deo familiaritatem pertinet, in quo tota hominis perfectio consistit; Sed requirit magnam de semetipso diffidentiam, atq; in Deo confidentiam, nec nō firmum propositum & continuatiōnem exercitij huius vsque ad vltimū vitæ diem.

Sacramenta.

Quo ad sacramentorū vsum, sepe numero cōfessione animū perpur-
re, & sacra cōmuniōne reficere debet
idque